

cator, instruendus erat). Rursumque post annos quatuordecim, assumpto Barnaba et Tito, exposuerit cum Apostolis Evangelium, ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset. Habet enim nescio quid latentis energiae viva vox; et in aures discipuli de auctoris ore transfusa fortius sonat. Unde et Aeschines, cum Rhodi exularet, et legeretur illa Demosthenis oratio, quam adversus eum habuerat, mirantibus cunctis, atque laudantibus, suspirans ait: quid si ipsam audissetis bestiam, sua verba resonantem?

4. Nec hoc dico, quod sit in me aliquid tale, quod vel possis, vel velis discere, sed quod ardor tuus ac discendi studium, etiam absque nobis per se probari debet. Ingenium docile et sine doctore laudabile est. Non quid invenias, sed quid quaeras, consideramus. Mollis cera et ad formandum facilis, etiam si artificis et plastae cessent manus, tamen virtute totum est, quidquid esse potest. Paulus Apostolus ad pedes Gamalielis legem Domini et Prophetas didicisse se gloriatur, ut armatus spiritualibus telis, postea diceret confidenter: arma enim militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et captivantem omnem intellectum, ad obediendum Christo, et subjugare parati cunctam inobedientiam. Ad Timotheum scribit ab infantia sacris litteris eruditum, et hortatur ad studium lectionis, ne negligat gratiam, quae data sit ei per impositionem manus Presbyterii. Tito praecipit, ut inter caeteras virtutes Episcopi, quem brevi sermone depinxit, scientiam quoque eligat scripturarum. Obtinentem, inquit, eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana et contradicentes revincere. Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest, et quantum aedificat ex vitae merito Ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat. Malachias Propheta, immo per Malachiam Dominus interrogavit,